(17) 254

Sententia Fratrum Praedicatorum de Responsione PP.^um Societatis ad 8 Quaest.^es ab Ill.^mo et Reu.^mo Emo Cardinali Maduccio propositas.

Circa Primam.

Fatemur ponendam esse in Deo praescientiam, et praedestinationem ante bonum usum liberi arbitrij, respectu actuum, quibus homo ad Justificationem disponitur, aut ad uitam aeternam peruenit; quippe quem et homo habet ex gratiae efficacis auxilio, et ad ipsum libere omnino concurrit, ut causa secunda et proxima mota efficaciter à prima.

Circa secundam.

Acceptamus ipsam, addentes, ex diuina praedestinatione, arbitrij nostri libertatem, mirum in modum perfici.

Circa tertiam.

Aduertimus, quod quando dicitur, auxilia gratiae esse quidem efficacia, ut sunt à Deo: atque ita de se, ut non excludatur respectus ad liberum arbitrium; hoc potest dupliciter intelligi. Primo, ita ut auxilium de se efficax includat respectum ad consensum futurum nostri arbitrij, tanquam causae efficientis ad suum effectum: et in isto sensu uerissimum est. Secundo, ita ut auxilium de se efficax includat respectum ad talem consensum, tanquam ad aliquid, à quo dependeat efficacia auxilij ad mouendum ipsum liberum arbitrium, et sic falsum esse existimamus.

Circa quartam.

In eo quod dicunt, aliqua auxilia gratiae esse de se efficacia ad efficiendum, ut liberum arbitrium consentiat, conuenimus modo circa praecedentem propositionem à nobis explicato. In eo uero, quod asserunt aliqua auxilia gratiae à libero arbitrio pro sua sola, et innata libertate interdum reddi inefficacia: si sermo fiat de auxilijs gratiae sufficientis, proprie loquendo dicimus, minime reddi inefficacia; sed ex libero arbitrio ponente obijcem fit, ut non consequantur effectum illum,

UGR Biblioteca Universitaria

ad quem in genere suo disponebant. At si loquamur de auxilijs efficacibus, quibus movetur homo à Deo in instanti Justificationis, censemus, hæc duo simul vera esse non posse: quod videlicet Spiritus Sanctus aliquem moveat ad actum Charitatis, et contritionis; et quod ipse in tales actus libere non consentiat. At subinde nunquam continget, quod homo reddat inefficax auxilium, quod de se, et ut venit à Deo est efficax. Quod demum dicunt de respectu illo gratiæ efficacis ad liberum arbitrium, satis circa tertiam propositionem diximus.

Quæ circa quatuor alias quæstiones respondent, ut iacent, amplectimur.

UGR Biblioteca Universitaria

UGR Biblioteca Universitaria

UGR Biblioteca Universitaria